

Et insuper declarat sanctum Joannem apostolum, et evangelistam, narrando, cap. XIX. quod Christo jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuerit, rectum rei gestæ ordinem tenuisse.

232. *Damnatur opinio temere asserentium, quod Christo adhuc viventi lancea latus fuerit apertum.* — Ac per hoc reprobatur, atque damnatur opinio quorundam temere asserentium, quod Christo adhuc viventi lancea latus fuerit apertum. Nam hæc doctrina repugnat clarissimo testimonio sancti Joannis evangelistæ, loc. cit., sicque detrahit fidei sancti Evangelii. Detrahit insuper magnitudini miraculi: evidentius siquidem miraculum est, quod de corpore mortuo manaverit sanguis et aqua, quam de vivo. Detrahit etiam figuræ, quod sicut ex latere Adæ soporati Eva sibi in conjugem est formata, sic ex latere Christi dormientis, sive jam mortui, profluentibus inde undis aquæ et sanguinis, formaretur unica et immaculata ac virgo. sancta mater Ecclesia, conjux Christi. Repugnat itidem communi sententiæ sanctorum Patrum, et doctorum, prout ibidem notavit pontifex una cum concilio Viennensi.

233. *Aut, quod anima rationalis vere ac per se humani corporis non sit forma?* — Deinde dictum generale concilium, § Porro, reprobatur, atque hæreticam declarat doctrinam temere asserentium, aut vertentium in dubium quod substantia animæ rationalis, seu intellectivæ, vere ac per se humani corporis non sit forma. Et quidem maledictus Averrhoës, 3, *de Anima*, concl. 5. olim tenuit hanc doctrinam. Verum, ut observat, pluribusque rationibus probat Doctor subtilis, in 4. dist. 49. § Respondeo, § Dico ergo, naturaliter est notum quod anima intellectiva sit forma hominis specifica: unde Aristoteles lib. II. *de Anima* text. 6. definiens animam intellectivam, inquit, « quod est actus corporis physici organici, potentia vitam habentis. » Nec breviter invenitur aliquis philosophus notabilis, qui id negaverit, præter Averrhoem, prout notavit Scotus, loc. cit., quamvis posterioribus temporibus aliqui reperti fuerint, qui id ipsum temere negare, vel in dubium revocare præsumpserint, prout liquet ex cit. Clement. un. h. t. primum post mortem Doctoris subtilis emanata.

234. *Quid juvet ad fidem istud in generali concilio definire?* — Dices. Quid juvat ad fidem hoc disquirere, atque in generali concilio definire? Resp. multum sane id conferre.

Imprimis enim opposita, et impræsentiarum damnata sententia, tacite contradicit illi catholicæ veritati, quod Christus sit verus homo, ex anima rationali et humana carne compositus, c. *Firmiter*. § *Et tandem*, h. t. seu subsistens, c. *In quadam de Celebrat Miss.* juncto Symbolo sancti Athanasii: dum negat ullum hominem ex anima rationali, humanum corpus vere et essentialiter informantem componi, seu subsistere. Deinde opinio illa est contra fidem incarnationis Filii Dei: cum enim hæc principaliter ordinetur ad salutem animæ, ut quid Verbum divinum fuisset caro factum, si anima non existeret essentialis forma carnis, seu corporis humani? Glossa Clement. un. § *Intellectivæ*, h. t. Quinimo sententia temere asserens animam non esse vere ac per se formam corporis humani, et sic denegans formam substantialem physicam hominis, favet impiis Manichæis dicentibus, Christum non fuisse verum hominem, sed phantasticum d. c. *In quadam*. § *Alii*. Ulterius eadem sententia pugnat contra fidem resurrectionis corporum: quia enim anima rationalis, etiam separata a corpore, habet suum esse, ac subsistere (quod non est in aliis formis) si ipsa non foret per se, atque essentialiter, forma corporis humani, ad quid resurgerent ipsa corpora? Ideo autem corporum fit resurrectio, quia anima rationalis habet inclinationem naturalem ad sui corporis unionem, veluti forma substantialis ipsius; neque sine eo habet esse quietum, perfectamque beatitudinem, qualis datur æternaliter sanctis in cælis, Abbas in Clem. un. num. 10. h. t. et Glossa loc. cit.

235. *Definitur etiam unicum baptismum. Et quod per baptismum conferatur gratia informans, seu sanctificans, censetur esse probabilis; ac de facto est de fide.* *Ibid.* — Tandem concilium allegatum credit, atque ab omnibus fidelibus firmiter confitendum definit unicum baptismum, regenerans omnes in Christo baptizatos, ac tam adultis, quam parvulis, perfectum existens remedium ad salutem. Tum idem concilium ex duabus a se relatis opinionibus approbat eam, veluti probabilior ac dictis sanctorum, et theologorum magis consonam, quæ asserit, per baptismum conferri tam adultis, quam parvulis, gratiam informantem, seu sanctificantem, atque virtutes. Verum hæc sententia de facto non solum est probabilior, sed certa, ac de fide tenenda, propter novissimam definitionem sacri concilii Tridentini, sess. 6, cap. VII. et can. 9. ubi

docet, « quod in ipsa justificatione (cujus causa instrumentalis est sacramentum baptismi, ut ibidem præmittitur) cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem. »

236. *Definitur processio Spiritus sancti a Patre, et Filio remissive.* — Porro, quod in cap. un. h. t. in 6. desumpto ex concilio generali Lugdunensi, definitum fuerit, Spiritum sanctum æternaliter a Patre, et Filio, tanquam ab uno principio, et unica spiratione procedere, fusius supra, § 2, per totum declaratur, eademque catholica veritas contra errorem Græcorum probatur.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

1. *Ratio ordinis. Omne jus aut scripto constat, aut non scripto.* *Ibid.* — Posito primario, ac principali juris canonici fundamento, quod est fides catholica, et firma veraque sanctissimæ et individuae Trinitatis confessio; pergit compilerator juris canonici ad ponendum alterum, veluti secundarium ejusdem fundamentum, explicando generaliora totius juris principia per tres subsequentes titulos.

Et quia omne jus, quo utimur, scripto constat, aut non scripto, ut habetur can. 2, dist. 2. ibi: « Omne autem jus legibus et moribus constat: » juncto § *Constat autem*. *Instit. de Jure nat. gent. civil.*, jus scriptum vero sit certius, generalius, sicque potentius et nobilius, quam non scriptum: merito prius agitur de jure scripto, cujusmodi sunt constitutiones, quam de non scripto, ut est consuetudo. Cæterum cum præsens titulus copiosorem contineat materiam, quam theologi quoque tradere consueverunt in tractatu *de Legibus* (atque ego ipsemet tract. II *Theologiæ moralis* per totum explicavi) eundem majoris claritatis gratia in paragraphos dividendo, ea potissimum in progressu examinantur, quæ specialiter ad jus canonicum pertinere dignoscuntur, cætera remittendo ad theologiam

§ I.

DE VARIIS ACCEPTIONIBUS ET NOMINIBUS CONSTITUTIONUM, BULLA, ET BREVI APOSTOLICO.

2. *Constituto, unde sic dicatur?* — Quæritur I. *Constitutio* unde sic dicatur, et quot modis accipiatur? Resp. I: Quantum attinet ad ætymologiam nominis, *Constitutio*, dicitur a *constituendo*, hoc est, a *simul statuendo*; sicque vi nominis idem sonat ac *commune statutum*: nam *Con* est simul, et altera particula sonat idem, quod *Statutio*, sive *Statutum*.

3. *Constitutio stricte accepta, quid? Lex, et constitutio ferme sumuntur pro eodem.* *Ibid.* — Resp. II. *Constitutio* potest accipi dupliciter; stricte videlicet, et large. Priori modo sumitur *constitutio* pro lege, quam princeps statuit, sive constituit de consilio procerum ac senatorum suorum, 1. *Humanum*, C. *de Legib.* Quo in sensu can. 4. dist. 2. dicitur: « *Constitutio* est, quod rex, vel imperator constituit. » Quinimo juxta communem loquendi modum ferme pro eodem sumuntur *lex* et *constitutio*, arg. can. 3, dist. 1. Ibi: « *Lex* est *constitutio scripta*. » Unde et sanctus Anacletus papa, epist. 1, cap. III. ac refertur can. *Leges Ecclesie*. 3. q. 6, constitutiones ecclesiasticas appellavit *leges*, illis verbis: « *Leges Ecclesie apostolica firmamus auctoritate.* » Unde, quod canones etiam recte appellantur « *Leges ecclesiasticæ*, » tradit Abbas in c. *Canonum statuta*, n. 1, h. t.

4. *Magis tamen usitate differunt; et in quo?* — Fatendum tamen, quod frequenter, et magis usitate, constitutiones principum sæcularium appellantur *leges*, non autem constitutiones ecclesiasticæ; prout liquet ex rubricis utriusque juris, præsentem materiam concernentibus. Accedit ratio congruentiæ: quia imperator omne suum imperium et potestatem immediate a populo accepit, unde sicut olim, quæ statuebantur a populo, *Leges* dicebantur; ita et nunc, quæ imperator statuit, rectissime vocantur *Leges*, ut jam dictum in Proœmio, n. 177. At vero Romanus pontifex potestatem suam non habet a populo, sed immediate a Deo, cujus proinde decreta potius appellantur *Constitutiones*, quam *Leges*. Hinc Abbas in cap. 1, n. 1. *de Sentent. et judic.*, notandum ait, « quod legum appellatione veniunt jura civilia, et appellatione canonum veniunt canonica, » sive ecclesiastica. Idque desumitur ulterius ex verbis illius cap. 1.

I. ibi : « Sententia contra leges canonesque prolata. » Juncto can. *Nicæna*, dist. 31, ubi dicitur : « Quod Nicæna synodus posuit leges quas canones vocamus. » Vallensis, h. t. n. 5; Azorius, part. I. lib. V, cap. 1, q. 3.

5. *Constitutio large; quomodo sumatur? Sic capitur in presenti rubrica.* — Posteriori modo, sive large sumpta constitutio, accipitur pro quovis statuto, seu jure scripto, sive principis tum ecclesiastici, tum sæcularis, sive inferiorum potestatem condendi leges, seu statuta habentium : ut sunt archiepiscopi, episcopi, capitula cathedralia, collegia, ordines regulares, magistratus, et hujusmodi. Et in hac latitudine sumendo nomen *Constitutionis*, procedit rubrica presentis tituli, utpote sub qua cap. VI, VIII, IX et XII. fit mentio quarundam constitutionum a capitulis, et collegiis factarum : sicut et cap. VII. et X. habetur sermo de statutis laicorum; et cap. XI. de ordinatione, se statuto cujusdam universitatis magistrorum.

6. *Constitutiones ecclesiasticæ variis nominibus appellantur.* — Queritur II. Quibus nominibus appellantur constitutiones ecclesiasticæ? Resp. eas variis appellari nominibus, dum quandoque vocantur canones, aliquando decreta, item decretales epistolæ, dogmata, mandata, interdicta, et sanctiones. Ita Glossa in *Summa*, dist. 3, §. *Omnes*, et patet ex can. *Si quis dogmata*, 25, q. 2, ubi constitutiones apostolicæ talibus nominibus censentur, cum concordantiis. Et quidem.

7. *Canon large quid?* — *Canon.* in latiori sensu sumitur pro omni constitutione ecclesiastica, sive fiat in concilio, sive extra illud a solo papa; prout accipitur cap. I. h. ibi : « Canonum statuta custodiantur ab omnibus : » cum similibus. Etenim *Canon* græce, latine *Regula* nuncupatur, eo quod recte ducat, ac regat, normamque recte vivendi præbeat, can. 1. et 2, dist. 3, quod omnibus ecclesiasticis constitutionibus commune est. Quinimo appellatione *canonis* venit etiam constitutio capituli ex larga significatione, et in materia favorabili, card. Tuschus, litt. C, concl. 23, n. 4, et Barbosa, de *Appellat. verbor. juris*. §. *Canon*. posi. Calderinum consil. 16. « An canonis appellatione, de *Consti.* »

8. *Canon stricte quid?* — Verum strictius loquendo, ac prout nonnihil differt ab aliis, *Canon* dicitur constitutio ecclesiastica, quæ in concilio generali editur, d. can. *Nicæna*, dist. 31, et can. *Habeo*, dist. 16; Abbas in c. *Canonum*, n. t. h. t. et alii. Concordat concilium

Tridentinum, in quo, licet receptiori stylo canones fidei distinguantur, ac seorsim ponantur a decretis reformationis; tamen etiam hujusmodi decreta reformationis, utpote in concilio generali edita, canonum nomine indignantur, sess. 14, in Proœmio de *Decreto reformationis*, ibi : « Hos, qui sequuntur. Canones statuendos, et decernendos duxit. » Fagnanus in c. *Canonum statuta*, n. 20, h. t. Quinimo non solum id, quod in generali, verum etiam in provinciali concilio statuitur, *Canon* appellatur, arg. can. de *Libellis*, dist. 20, et notat *Vocabularium juris*, §. *Canon*.

9. *Decretum*; 10. *Decretalis epistola*; 11. *Dogma*; 12. *Mandatum*; 13. *Interdictum*; 14. *Et Sanctio, quid?* Ex his multoties unum pro alio usurpatur. — *Decretum* vocatur, quod papa statuit, de consilio cardinalium suorum ad nullius consultationem. Glossa, in *Summa*, dist. 3, §. *Omnes*; Fagnanus, loc. cit. n. 48, et alii. Fatendum tamen, quod *Decretum* pluribus aliis modis accipitur, quos refert Durandus in *Speculo*, tit. *De primo et secundo decreto*; unde et novissime ea, quæ circa reformationem morum in œcumenico concilio Tridentino saluberrime constituta fuerant, *Decreta de reformatione* passim nuncupantur.

10. *Decretalis Epistola* dicitur, quam papa, vel solus, vel cum cardinalibus statuit ad consultationem, alterius Glossa loc. cit. Et hæc alio nomine appellatur *Rescriptum*, sic dictum, quod a papa per eam rescribatur ad alterius consultationem, relationem, vel supplicationem : de quo extat integer titulus in jure canonico, de *Rescriptis* inscriptus, ubi plura circa hoc.

11. *Dogma* est, quod consistit in doctrina fidei christianæ, Glossa loc. cit., id probans ex can. *Qui episcopus*, dist. 23. Quia enim generaliter hoc nomen assumendo, dogma cuiuslibet sectæ decreta, continet juxta illud sancti Hieronymi in cap. I Daniel. *Dogmata philosophorum*, et refertur can. *Qui de mensa*, dist. 37, hinc recte, atque in sensu catholico ea appellantur *Dogmata Fidei*, quæ per sanctam matrem Ecclesiam, veluti de fide tenenda fuerunt definita.

12. *Mandatum* dicitur, quod consistit in doctrina morum : nec aliud est, quam constitutio ad ecclesiasticam disciplinam, bonosque mores pertinens : qualis refertur can. *Hic igitur*, dist. 23, et c. *Mandamus, de Offic. archidiacon.*; Glossa, loc. cit.; Archidiaconus in can. *Si quis dogmata*, 25, q. 2.

13. *Interdictum* (quod hoc loco non sumitur

pro censura, sed pro constitutione ecclesiastica) appellatur, quando fit prohibitio nulla pœna adjecta in transgressores, arg. can. *Interdixit*, dist. 32.

14. *Sanctio* tandem dicitur, ubi pœna adjiicitur sustinenda a transgressoribus, can. *Sancimus*, 1. q. 7. cum similibus; Quamvis prædicta nomina multoties inter se confundantur, ac unum pro alio usurpetur : ut liquet ex can. *Sancimus*, 12, q. 2, ubi nulla reperitur pœna adjecta, quamvis initium dicti canonis sanctionem importet. Similiter in can. *Mandamus*, 19, q. 3. mandatum ac interdictum simul ponuntur, et quidem adjecta in transgressores pœna; idem accidit in aliis locis. Fagnanus, loc. cit., num. 48. post Hugonem, et præpositum.

15. *Constitutiones apostolicæ vocantur etiam bulla, et brevia apostolica.* — Cæterum quia diversæ constitutiones apostolicæ fieri, atque promulgari consueverunt per bullas, vel brevia apostolica, uti videre licet in *Bullario Romano*, operæ pretium esse videtur, occasione præmissorum etiam de istis hoc loco mentionem facere, utpote quorum frequens mentio recurrere solet. Hinc

16. *Breve apostolicum, quid, et cur sic dicatur?* — Queritur III. Quid sit breve apostolicum, et bulla, et quæ differentia horum? Resp. I. Breve Apostolicum dicuntur litteræ pontificiæ, in membranibus subtilibus, et candidis, caractere latino ac nitido descriptæ, et a tergo cera rubea chordulis lineis inclusa illitæ, annuloque Piscatoris signatæ, ac manu secretarii subscriptæ. Et hæc alio nomine vocantur *Litteræ in forma Brevis*, quia verbis brevibus res in ipsis contentæ conscribuntur, voce jam antiquitus usitata; L. 1. de *Apochis public.* lib. X. et l. *Excellentia*. C. de *Erogat. milit. annon.* lib. XII. Vel, cum nonnunquam prolixitate sua non respondeant hujus nominis etymologiæ, dicuntur *Brevia* ex eo, quia in brevibus materiis, seu breve negotium concernentibus, concedi solent : nam in arduis negotiis communius Bullæ expediuntur; dummodo excipiantur gratiæ illæ, etiam in gravioribus negotiis quandoque per papam concessæ, quæ ex regulis Cancellariæ, vel ex stylo, non exigunt necessitatem litterarum sub plumbo, ac proin expediuntur in forma *Brevis* sub annulo Piscatoris. Rebuffus in addit. ad *Reg. Cancellar.* reg. 34. § *Breve*. Et card. de Luca, tom. III. de *Relation. Curie*, discurs. 7, n. 9.

17. *Bulla, quid, et quomodo fiat?* — Resp. II.

Bullæ dicuntur illæ litteræ apostolicæ, seu papales, quæ expediuntur per Cancellariam sub plumbo, sive sigillo plumbeo, pendente ex chordulis, conscriptæ in membrana magis nigra, et rudi, atque antiquo caractere Gallico. Ita card. de Luca, cit. n. 9. et Rebuffus d. reg. 34. circa finem : qui addit, et praxis habet, quod si Bulla expediatur in materia gratiæ, sigillum plumbeum dependeat ex chorda serica : si vero fuerit Bulla justitiæ, seu data in materia contentiosa, illud pendeat ex chordula de cannabe. Hoc ipsum jam antea observavit Felinus in c. *Postulasti*. n. 1, § *Dum declarat. de Rescriptis*. Solum adde quod hodie Bullæ in materia gratiæ, si sunt expeditæ in forma gratiosa, plumbum habeant pendens ex chorda serica rubri et crocei coloris : si vero sunt expeditæ in forma *Dignum*, illud pendeat ex chordula de cannabe; ut Bullæ matrimoniales, et justitiæ. Vincentius de Justis *Dispensat. matrim.*, lib. I. cap. VII. n. 299; Vivianus, de *Jure patr.*, part. II, lib. XIII. cap. v.

18. *Brevia apostolica eandem vim habent, ac Bullæ.* — Resp. III. Quamvis Brevia apostolica rite confecta tantam vim habeant in illis materiis, in quibus conficiuntur, quantam Bullæ in cæteris materiis : ac proinde hujusmodi litteræ papales, cæteroquin jure confectæ, convenient in effectu; sicque non solum ille ineidat in crimea falsi, hujusque pœnis teneatur, qui corrumpit Bullam Romani pontificis; sed etiam, qui falsat Breve apostolicum, arg. c. *Ad falsarium.*, de *Crimin. fals.* ac notat Rebuffus, loc. cit.; nihilominus quoad alia inter Bullas et Brevia apostolica, multiplex intercedit discrimen, prout patebit inductione.

19. *Differunt tamen in pluribus aliis, et quibus?* — Imprimis enim *Brevia apostolica* a Romana Curia expediuntur per secretariam apostolicam, sub *Annulo Piscatoris*, sic dicto ab insculpta imagine sancti Petri piscantis, qui vel per ipsummet summum pontificem, vel per unum magis intimum, probatæque fidei familiarem, summa cum diligentia custodiri, atque post obitum pontificis illico a cardinali camerario infringi solet. At vero *Bullæ*, quæ sunt alterum litterarum apostolicarum genus, expediuntur per Cancellariam apostolicam, atque sub sigillo plumbeo, et chordula (ut dictum) pendente : quod sigillum moderno tempore ex una parte Imagines sanctorum Petri et Pauli præ se fert, ex altera, vero nomen papæ regnantis impres-

sum habet. Et quidem ejusmodi sigillum est ultimum consummativum litterarum apostolicarum, adeo ut ante illius appensionem eadem necdum expeditæ censeantur, c. *Licet*. 5. de *Crimin. fals.* et se filum, sive memorata chordula in totum fuerit rupta, amplius Bulla non probet. Glossa magna in can. *Nobilissimus*, dist. 97. et Rebuffus, loc. cit. post card. Alex. can. *In memoriam*, dist. 19.

20. *Differunt tamen in pluribus aliis, et quibus?* — Deinde Brevia apostolica inscribuntur in membranarum subtilibus, et albis: pro Bullis autem sunt in usu membranæ subnigræ, et grossæ. Rursus Brevia scribuntur caractere latino bene legibili, ac elegantiori: in Bullis vero retinetur antiquus stylus characteris Gallici, receptus et practitatus ab eo tempore, quo Sedes apostolica residentiam habuit Avenione in Galliis, cardin. de Luca d. discurs. 7, n. 9. Pluribus etiam Brevibus apostolicis, præsertim Indulgentiarum, et absolutionum atque dispensationum pro foro conscientie, exterius solet inscribi: *Gratis pro Deo et scriptura*; ad indicandum, talia omnino gratis expediri. Tacentur alia discrimina.

21. *Brevia Pœnitentiariæ, quæ?* — Solummodo his addendum est, quod in Romana Curia nomen *Brevium* etiam locum habeat in illis Expeditionibus, sive litteris, quas tribunal sacræ Pœnitentiariæ concedit ut plurimum pro foro interno, et quandoque etiam pro externo, circa absolutiones a censuris, et dispensationes in quibusdam irregularitatibus, ac hujusmodi. Verum istæ expeditiones notoriam habent diversitatem a Brevibus apostolicis; idque tum ob diversam formam, tum ob diversum omnino sigillum. Unde non immerito illa dicuntur *Brevia apostolica*, ad differentiam talium expeditionum, sive *Brevium Pœnitentiariæ*. Card. de Luca, nu. 10; Rubuffus, loc. cit. § *Breve apostolicum*.

§ II.

DE LEGE, EJUSQUE CONDITIONIBUS AC DIFFERENTIA A SIMPLICI PRÆCEPTO.

22. *Lex, unde sic dicatur?* — Quæritur I. Quid sit lex, et quæ ejus utilitas? Resp. Quod ad nominis etymon attinet, *Lex* dicitur a *legendo*, eo quod leges olim solebant in publicis tabulis scribi, et populo legendæ proponi; ut sentit Isidorus, lib. I. *Etymolog.*, cap. x; vel potius a *ligando*, eo quod homines

legibus regentur, seu obligentur ad aliquid præstandum, vel omittendum, ut vult Doctor subtilis, in 4, dist. 15, q. 2, § *Hic sunt quatuor*. Et hoc merito: quia ad legem positivam condendam requiritur in legislatore tum prudentia, tum auctoritas. Prudentia quidem ut secundum rectam rationem practicam judicet, quid spectatis omnibus circumstantiis sit faciendum pro bono communitatis: auctoritas vero, quia alioquin sententia prudentis non obligabit communitatem; nisi is præsideat, et auctoritatem ligandi subditos habeat, § *Sed aliud*, dist. 20. Et sic *Lex a ligando* rectius derivatur.

23. *Lex generatim accepta quid?* — Resp. II. Lex generatim accepta, et prout est quid commune ad constitutiones humanas tam ecclesiasticas, quam civiles, recte definitur, dicendo: « Lex est recta agendorum ratio, a publica potestate communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuo obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum. » Ita in re communis; quamvis nonnulli aliis verbis legem definiendo utantur, imo et in ipso jure reperiantur quædam diversæ definitiones legis, accipiendo tamen hanc in alia magis speciali, et strictiori significatione, ut dictum fuit in Proœmio, § 9, num. 173 et 174. Verum accipiendo legem generatim, atque ut est quid commune ad omnes prorsus constitutiones humanas, patebit bonitas allatæ nostræ definitionis quoad singulas suas particularas ex conditionibus legis, n. 27 et seqq. declarandis.

24. *Legum utilitas commendatur.* — Resp. III. Legum utilitas apte commendatur illis verbis, ex sancto Augustino, cap. IV, h. t. relatis: « Bona est ergo lex quæ, dum hoc (videlicet vitium concupiscentiæ, ut explicat Glossa) prohibet, omnia mala prohibet. » Nam vitium istud est generale ad omnia vitia, juxta illud sancti Jacobi in sua *Canonica*, cap. VI, 1. *Unde bella, et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Et I Joan., cap. II, 16. *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vite: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.*

25. *Cur lex sit prodita?* — Quia igitur lex proditur, sive promulgatur ad hoc; ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, pravæque concupiscentia, sive (ut loquitur pontifex in proœmio Decretalium) « effrænata cupiditas, sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum reprimatur: » patet quanta

existat bonitas ejusdem. Et quia novis moribus nova convenit antidota præparari, c. *Cæterum de Jurament. calumn.* non mirandum, quod in utroque jure, quin etiam extra illud, plures successive emanaverint constitutiones, sive leges: « Cogunt enim multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum, » ut loquitur sanctus Augustinus, Epist. 50. ad *Bonifacium*, ac refertur in can. *Ut constitueretur*, dist. 50.

26. *Tria juris præcepta, quæ?* — Accedit, quod per legem, veluti juris regulam, genus humanum informetur, ut honeste vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat; prout notatur in dicto proœmio Decretalium. Hæc enim tria censentur esse generalia juris præcepta, § *Juris Instit. de Justit. et jur.* ibi: « Juris præcepta sunt hæc: honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere. »

27. *Cur hæc dicantur juris præcepta?* — Et hæc quidem tria dicuntur juris præcepta: non quod omne jus singillatim aliquid directe præcipiat; cum quandoque aliquid directe solum prohibeat, quandoque permittat, vel etiam puniat. can. *Omnis autem lex*, dist. 3 et 1. *Legis virtus*. ff. de *Legib.* ibi: « Legis virtus hæc est: imperare, vetare, permittere, punire. » Sed quia omne jus saltem indirecte aliquid præcipit, spectans ad unum prædictorum trium juris præceptorum (nam dum jura quidpiam directe v. g. permittunt faciendum, hoc ipso indirecte præcipiunt, ne quis illud facientes impediatur, vel molestat, etc.) simulque, quia omnia, et singula jura reductive spectant ad illa generalia præcepta, vi quorum tenemur honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere.

28. *Conditiones legis, quæ?* — Quæritur II. Quæ requirantur conditiones ad legem, seu constitutionem? Resp. Eisdem ab Isidoro, relato can. 2, dist. 4, complecti sequentibus verbis: « Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporisque conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne per obscuritatem in captionem contineatur, nullo privato modo, sed pro communi civium utilitate conscripta. » Hæc ille. Brevius tamen omnes necessariæ legis conditiones continentur in ejus definitione, num. 2. allata, dum dicitur: « Lex est recta agendorum ratio, a publica potestate communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuo obligandi, » etc. Nam, quod scriptura non sit de substantia legis,

patet ex dictis in proœmio, numer. 159.

29. I. *Debet esse recta agendorum ratio.* — Igitur ad legem requiritur, ut sit « recta agendorum ratio; » sive, ut ait citatus Isidorus, « quod sit honesta, justa, possibilis, etc. Siquidem lex injusta, vel quid iniquum præcipiens, non est absolute dicenda *Lex*, sed solum cum addito, *Lex injusta*, et si constet eam esse talem, non tenentur eidem subditi obedire. Ratio clara est: tum quia « nemo potest ad impossibile obligari, » juxta reg. 6 *Juris*, in 6. Quidquid autem contra rationem bonosque mores militat, censetur de jure impossibile, 1. *Filius qui*, ff. de *Conditionib. institut.*, et 1. *Si stipuler*, ff. de *Verb. obligat.*; tum quia « non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. » Reg. 56 *Juris*, in 6. Ergo multo minus lex, utpote quæ debet delicta coercere, non præcipere, L. 1. ff. de *Legib.* Et si secus fieret, oporteret Deum potius audire, quam homines, *Actor*. cap. v, 29. Unde de ejusmodi lege injusta hic non agitur, sed tantum de justa.

30. II. *Ad eam requiritur legitima auctoritas in ferente.* — Ad rationem legis requiritur legitima auctoritas legem ferendi in legislatore: quæ conditio indicatur in data definitione per ly, a *publica potestate*. Nam alioquin locum haberet illud vulgatum: « Extra territorium jus dicenti impune non paretur, » cap. ult. de *Constit.*, in 6. cum similibus.

31. III. *Ac debita promulgatio.* — Requiritur ad rationem legis debita ejusdem promulgatio; quæ conditio in dicta definitione denotatur per ly, *communitati denuntiata*, id est promulgata. Nam, ut habeat receptum juris consultorum dictum, ex can. 3, dist. 4. desumptum: « Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium comprobantur. » Verum de hac legum promulgatione ex professo inferius.

32. IV. *Et ut feratur cum voluntate perpetuo obligandi.* — Requiritur, ut lex feratur « cum voluntate obligandi: » id est, quod legislator velit communitati quidpiam præcipere, eamque ad observantiam legis obligare. Si enim aliquid dumtaxat consulat, aut a subditis fieri libenter se videre declaret, non autem clare jubeat, et præcipiat, lex non erit, sed consilium, aut beneplacitum principis.

33. *Lex debet esse perpetua.* — Et additur ly, *perpetuo obligandi*. Nam lex debet esse perpetua; adeo, ut quantum est de se, ac nisi postmodum legitime revocetur, obliget in perpetuum, arg. cap. ultim. de *Offic. legati*,